

## 395.

*Kaiser Friedrich II. erteilt Hermann, dem Sohne des verstorbenen Landgrafen Ludwig, die Eventualbelehrung mit der Markgrafschaft Meißen auf den Tod des Markgrafen Heinrich von Meißen, wenn dieser minderjährig sterben sollte.* Otranto, 1227 Sept.

- 5 *Hdschr.: Or. Perg. Reichsarchiv München. S., an schwarzen und gelben Seidenfäden, = Heffner VI. 47. Facsimile Posse, Hausgesetze der Wettiner Taf. 4.  
Gedr.: Huillard-Bréholles, Hist. dipl. Frid. II. 3,21 (nach Copia vidimata im Archiv zu Plassenburg). Böhmer-Ficker 1710.*

Fridericus dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Sicilie  
 10 rex. Per presens | scriptum notum facimus universis tam presentibus quam futuris, quod  
 nos pro gratis et acceptis serviciis, que quondam | Ludowicus lantgravius Thuringie  
 comes palatinus Saxonie dilectus princeps et consanguineus noster nobis et im|perio, donec  
 vixit, semper exhibuit laudabiliter et devote, volentes gratiam munificentie nostre, quam  
 ipsi lantgravio liberaliter feceramus, ad Hermannum eius filium dilectum consanguineum  
 15 nostrum, benignius derivare, cuius servicia nobis et imperio credimus in posterum pro-  
 futura, concedimus ei, ut si Henricum filium quondam marchionis Missinensis, antequam  
 ad legitimam etatem perveniat, mori contigerit, marchiam Missinensem cum omnibus  
 iustis tenementis, rationibus et pertinenciis suis et omnibus aliis, que quondam pater suus  
 marchio Missinensis a nobis et imperio in feudo tenuit, quoad vixit<sup>a)</sup>, ipse Hermannus  
 20 filius lantgravii supra dicti a nobis et imperio teneat et possideat in rectum feudum, prout  
 ea omnia ipsi lantgravio patri suo quondam nostra concesserat celsitudo, mandantes et  
 presentis scripti auctoritate firmiter iniungentes, ut nulla omnino persona magna vel parva,  
 ecclesiastica vel secularis, contra hanc concessionem nostram ausu temerario venire  
 presumat vel in aliquo contraire. Quod qui presumpserit, indignationem nostram et  
 25 penam quinquaginta librarum auri se noverit incursum, medietatem camere nostre et  
 alteram medietatem passis iniuriam persolvendam. Ut autem hec nostra concessio rata  
 semper et inconvulsa permaneat, presens scriptum fieri et sigillo maiestatis nostre iussimus  
 communiri. Huius vero rei testes sunt: G[eroldus] venerabilis Ierusalemitanus patriarcha.  
 L[ando] Reginus et M[arinus] Barensis archiepiscopi. R[icherius] Melfiensis et I[acobus]  
 30 Acconensis episcopi. . abbas Morbacensis. Frater H[ermannus] magister domus Theu-  
 tonicorum. R[ainaldus] dux Spoleti et alii quam plures. Datum apud Ydrontum anno  
 dominice incarnationis millesimo ducesimo vicesimo septimo, mense septembris, prime  
 indiccionis, imperante domino nostro Friderico secundo dei gratia invictissimo Romanorum  
 imperatore semper augusto, Ierusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii eius septimo,  
 35 regni Sicilie tricesimo et regni Ierusalem secundo; feliciter amen.

(S.)